



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1415

Quibus articulis, siue constitutionibus lectis, dictum Concilium eos & eas vniformiter approbavit & conclusit. Super quibus Henricus de Piro promotor & procurator ipsius Concilii, nomine eiusdem Concilii petit instrumentum.

SESSIO VI.

\* f. Gnef-  
nen.

**D**IE Mercurii decima septima mensis Aprilis supradicti, fuit sessio generalis in cathedrali ecclesia Constantiensi supradicta celebrata: in qua primo, iuxta morem & ritum aliarum sessionum, fuit celebratum officium de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum \* Gueznensem, & cantatae litaniae ac orationes more aliarum sessionum, cum euangelio: *Ego sum pastor bonus*. In qua sessione fuit rex \* Romanorum in insigniis regali-  
bus, cui assistebant domini Iordanus de Vrfinis, & Angelus Laudensis, episcopi cardinales. Et eidem sessioni praesidebat pro tunc reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, vicecancellarius, cardinalis Viuariensis. Et ascenderunt ambonem, in quo publicari solent constitutiones, & alia auisamenta in Concilio, reuerendi patres episcopus Atrebatensis pro natione Gallica, archiepiscopus Rigenis pro natione Germanica, Lichfeldensis episcopus pro natione Anglicana, & abbas Florentinus pro natione Italica. Et de mandato Concilii fuerunt pronuntiatii articuli sequentes per dictum dominum Atrebatensem.

\* Romanorum in suis insigniis imperialibus, cum suis nobilibus: & eidem sessioni praesidebat dominus Ioannes episcopus Ostiensis, cardinalis Viuariensis, praesentibus octo aliis cardinalibus.

Qua Missa finita, ac hymno, *Veni creator Spiritus*, & euangelio, *Ego sum pastor bonus*, &c.

solenniter finitis, ascendebat ambonem, in quo legi & publicari solent articuli & constitutiones & alia auisamenta proponenda in Concilio, episcopus Atrebatensis pro natione Gallicana, archiepiscopus Gueznensis pro natione Germanica, Thomas Polcon sedis apostolicae protonotarius pro natione Angliae, & abbas Florentinus pro natione Italiae: & de mandato sanctae Synodi episcopus Atrebatensis legit & pronuntiauit articulos alias per quatuor nationes deliberatos, huiusmodi sub tenore.

Concil. Tom. 29.

Ll ij

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris  
& Filii & Spiritus sancti. Amen.

ANNO  
CHRISTI  
1415.

Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, & ecclesiam catholicam representans, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius pacem & unionem ecclesiæ Dei, decernit, declarat, ordinat, statuit, diffinit, ut sequitur.

Et primo decernit & declarat, procuratorium super renuntiatione papatus facienda per dominum Ioannem papam XXIII. per quatuor nationes huius sacri Concilii deliberatum & ordinatum, esse bonum, utile & expediens pro unione sanctæ matris ecclesiæ.

Item decernit & declarat, quod dictus dominus Ioannes papa XXIII. tenetur dare & facere dictum procuratorium, ad cedendum papatui pro bono unionis & pacis ecclesiæ, iuxta formam schedulæ per ipsum oblata: cuius procuratorii tenor sequitur in hunc modum.

*Procuratorium dandum per papam Ioannem XXIII.  
decretum per Concilium.*

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei.*

Pridem ad laudem omnipotentis Dei, pacem & quietem totius populi Christiani, unitatisque ecclesiæ confirmationem, ac extirpationem præsentis schismatis, generali Constantiensi approbante Concilio, viam cessionis papatus libere obtulimus, illamque per nos fiendam cum effectu, promissione, voto & iuramento firmauimus, sicuti in quadam schedula per nos in sacro Concilio lecta latius continetur, & est talis.

<sup>Sup. sess. 1.</sup> Ego Ioannes papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, voueo & iuro Deo & ecclesiæ & huic sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi ecclesiæ per viam meam simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præsentis Concilii, si, & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, papatui quem præterdunt, per se vel procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu cessionis vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio

ANNO CHRISTI 1415.  
ecclesie Dei ad extirpationem presentis schismatis. Ne autem proventus tanti boni quibusvis fortis humane casibus impediri valeat, aut modo quolibet retractari, sed expedite desideratum producat effectum, quod desideriorum nostrorum maximum est, ad dictam cessionem & renuntiationem faciendam in omni casu in dicta scheda prefata obligationis nostre comprehenso, procuratores nostros & nuntios speciales in plenaria libertate & securitate constituti, sponte & ex nostra mera liberalitate constituimus & ordinamus tales & tales, & ex ipsis quoslibet duos, ipsisque ex eis quibuslibet duobus cedendi & renuntiandi nostro nomine & pro nobis papatu concedimus omnimodam auctoritatem, facultatem & potestatem, ita quod occupantis conditio melior non existat, nec per occupationem aliorum potestas impediatur. Et quod duo quicumque ex dictis procuratoribus constitutis, siue aliis contradicentibus, ignorantibus & irrequisitis, & coram nobis presentibus, & cessionem personaliter facere volentibus, vel quod per alios quam per nos renuntiatio fieret, quomodolibet contradicentibus, uti eodem procuratorio possint, valeant & debeant ipsius renuntiationis actum expedire, paciscentes & extunc contrahentes pacto & contractu irrevocabilibus, cum sancta vniuersali ecclesia, & hoc sacro Constantiensi Concilio, ipsam vniuersalem ecclesiam representante: promittentes, vouentes & iurantes Deo & ecclesie, & dicto sacro Concilio, quod nunquam dictos procuratores, aut eorum aliquem, & potestatem illis modo premissis concessam, ex quavis occasione & causa orta vel oritura, etiam a iure expressa, & propter quam causam vel causas constitutus procurator reuocatur, tacite vel expresse reuocari potest vel possit, directe vel indirecte, reuocabimus; nec ipsum procuratorium ratione forme aut personarum constituendarum, vel constitutarum, impugnabimus: nec contra ipsum procuratorium, aut personas constitutas in eodem, quoquo modo, de iure vel de facto, in iudicio vel extra excipiemus: quodque non diximus aut fecimus, nec dicemus aut faciemus in futurum, vel directe vel indirecte, quo minus dicti procuratores potestate sibi data in eodem procuratorio, iuxta eius teno-

rem libere vti possint & valeant, renuntiantes expresse omnibus exceptionibus & iuribus, quæ nobis competere possent de iure vel de facto, in præsentem vel in futuro, circa reuocationem, annulationem, inuadationem procuratorii & procuratorum huiusmodi: quas quidem exceptiones & iura nolumus in hac parte aliquo modo nobis suffragari. Et huiusmodi constitutionem & formam procuratorii, nec non renuntiationem per duos ex eis (vt præmittitur) faciendam, valere volumus & statuimus, non obstantibus quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & aliis inhabilitudinis sententiis, a iure, a nobis, vel alio quocumque in eos, vel eorum aliquem, quacumque auctoritate vel causa promulgatis, seu promulgandis, quibus forsitan nunc, vel tempore cessionis & renuntiationis huiusmodi, seu interim procuratores huiusmodi, seu aliqui eorundem sunt vel erunt ligati, quos & quorum quemlibet ad huiusmodi procuratorium accipiendum, & prædictam renuntiationem faciendam, absoluiimus & habilitamus per præsentem, non obstantibus etiam aliis contrariis quibuscumque: volentes, quod renuntiatio huiusmodi per eos facienda perinde valeat, ac si cessionem huiusmodi personaliter fecissemus: suppletentes etiam de plenitudine apostolicæ potestatis omnes defectus in hac nostra constitutione procuratorum, si qui interuenerint; ita quod huiusmodi procuratores per quascumque clausulas, etiam contra naturam constitutionis procuratorum in ea expressas, ipsi & eius effectui nociuas aut inutiles, seu in ipso vtilis & necessarias non expressas, sed deficientes, cuiuscumque tenoris vel effectus existant, nequeat quoquo modo impugnari, sed firmum & validum in omnibus & per omnia existat, ac si in eo clausulæ necessariæ vel vtilis existerent expressæ: quod quidem procuratorium, quo ad totalem eius effectum, firmum & validum volumus remanere: quodque ad clausulas huiusmodi obseruandas, quæ essent contra naturam constitutionis procuratorum, si quæ essent appositæ, nos ex certa scientia, omni via & modo, quibus melius possumus, promittimus, iuramus, & obligamus Deo & ecclesiæ, ac dicto Concilio, declarantes ac statuantes ex superabundanti ipsa iura in quantum volunt, concedunt, aut fauent, procura-

ANNO  
CHRISTI  
1415.

torem vel procuratores ex certis causis, vel alias reuocari posse, vel irreuocabiliter non constitui ea, quantum ad casum prædictum expresse, & ex certa nostra scientia, cum hic agatur de statu vniuersalis ecclesiæ, & pace, ac publica utilitate totius Christianitatis, volumus locum non habere, nec præiudicium aliquod afferre. Nec nos per præmissam procuratorii constitutionem, ab obligatione qua fuimus adstricti ad renuntiationem papatus facere iuxta deliberationem dicti sacri Concilii, in quocumque casu in dicta scheda obligationis nostræ comprehenso, volumus quomodolibet liberari: quinimo illam in suis integritate, robore & firmitate persistere & permanere, quousque per sessionem vel decessionem huiusmodi, aut alium casum quemcumque in prædicta scheda nostræ obligationis comprehensum, vnio perfecta fuerit in ecclesia sancta Dei. Et si quouis modo contingeret, huiusmodi procuratorium aut procuratores reuocare, etiam cum adiectione harum dictionum, videlicet, de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu, seu ipsum procuratorium, seu procuratores ipsos inuadare, impugnanare, aut annullare, seu contra ipsum procuratorium vel procuratores, de iure vel de facto, & ex quauis causa vel occasione excipere, seu ipsos procuratores directe vel indirecte, quo minus iuxta tenorem ipsius procuratorii potestate, auctoritate & facultate sibi data libere uti valeant, possint & debeant, impedire, in omnibus & singulis casibus prædictis exnunc prout extunc, ipsi papati cedimus & renuntiamus ipso facto, & deinceps pro non papa haberi ab omnibus Christi fidelibus volumus penitus & decernimus, absoluentes exnunc a iuramento fidelitatis & obedientiæ debito ligamine omnes & singulos dictæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nec non patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, prælatos, ac nostros & sedis apostolicæ officiales, ac etiam nostros familiares & officarios Romanam curiam sequentes, & quoscumque alios ecclesiæ fideles, ecclesiasticos & sæculares, cuiuscumque status, gradus vel conditionis existant, ac etiam totum populum Christianum, quos etiam tenore præsentium absoluiamus, & vltra præmissa promittimus habere ratum & gratum, quidquid per prædictos procurato-

res, aut eorum duos, actum, gestum, factumve fuerit in  
præmissis, seu aliquo præmissorum, firmiter habiturum  
sine aliqua contradictione. Datum &c.

ANNO  
CHRISTII  
1411.

*Quod papa constituat in procuratorio personas infra scriptas.*

Item decernit, ordinat, diffinit & declarat, quod di-  
ctus dominus Ioannes papa in dicto procuratorio ad di-  
ctam suam renuntiationem faciendam, præter alios quos  
constituere velit, constituat procuratores suos personas  
infra scriptas. Et primo pro natione Gallicana, dominos  
Theobaldum archiepiscopum Bifuntinum, Guillelmum  
episcopum Ebroicensem, Ioannem episcopum Geben-  
nensem, magistrum Benedictum \* Gentiam, magistrum  
in theologia, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Italic  
ca, Pileum archiepiscopum Ianuensem, Antonium epi-  
scopum Concordiensem, Iacobum episcopum Adrien-  
sem, & Iacobum episcopum Taruifinum. Pro natione An-  
glicana, Nicolaum episcopum Bathoniensem, Robertum  
episcopum Saresbiriensem, Ioannem episcopum Lichfel-  
densem, Thomam abbatem sanctæ Mariæ extra muros  
Eboracenses, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Ger-  
manica, Ioannem archiepiscopum Rigensem, Ioannem  
episcopum Lutomullensem, Petrum episcopum Ripen-  
sem, Andream electum Poznaniensem. Omnes consti-  
tuat, vel saltem de qualibet natione duos.

\* Gen-  
tia-  
ni

*Concilium deputat legatos ad requirendum papam super  
procuratorio faciendo.*

Item deputat dicta sancta Synodus, ac constituit &  
ordinat ex parte huius Concilii suos legatos infra scri-  
ptos. De dominis cardinalibus, reuerendissimum pa-  
trem dominum tituli sancti Marci, & Florentinum, car-  
dinales. Pro natione Gallicana, \* Theobaldum episcopum  
Carcassonensem, Ioannem \* Datani in theologia, Iaco-  
bum de Spars in medicina, magistrum. Pro natione Italica,  
episcopum Feltrensem, abbatem sanctæ Mariæ de Flo-  
rentia. Pro natione Germanica, Conradum abbatem Pin-  
ganiensem, Lambertum de Stipite, decretorum docto-  
res, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Anglicana, Tho-  
mam Poltensem Protonotarium sedis apostolicæ, Ber-  
nardum

\* Gerar-  
dum  
\* Dacen

ANNO  
CHRISTI  
1415.

nardum de Planhea decretorum doctorem, ordinis sancti Benedicti, ad dictum dominum Ioannem papam XXIII. ad petendum & requirendum ex parte dicti Concilii, quod constituat procuratores ad renuntiandum papatui, infra duos dies, postquam fuerit requisitus, & procuratorium ad dictam renuntiationem faciat & expediat pro bono vnionis & pacis ecclesie, sub dicta forma, & sub bulla.

*Quod prelati predicti requirant papam, quod veniat ad Concilium.*

Item decernit & ordinat, quod dicti legati ipsum Ioannem papam exhortentur, & requirant ex parte sacri dicti Concilii, vt veniat ad hanc ciuitatem Constantiensem, siue ad villam Vlmae, aut ad villam Rauenspurg, vel ad ciuitatem Basileensem, ad tractandum & perficiendum per eum, quantum in eo, omnia & singula quae expedire videbuntur pro vnione & reformatione ecclesie, per hoc sacrum Concilium deliberata & deliberanda.

*Quod dicti legati portent papae securitates debitas.*

Item quod dicti legati securitates debitas ex parte huius sacri Concilii, & serenissimi principis domini regis Romanorum, ipsi domino Ioanni papae portent, & cum effectu realiter illi offerant atque tradant, casu quo iuxta praemissa ad alterum de dictis locis cum effectu accedat.

Item quod dictus dominus Ioannes papa promittat & iuret vnum de praedictis locis eligere infra duos dies, post requisitionem super hoc eidem faciendam computandos, & infra decem dies a tempore dictae requisitionis, ad dictum locum per eum eligendum accedere, & abinde non discedere sine consensu dicti Concilii, vel quousque praemissa fuerint cum effectu adimpleta. Et in casu quo oppositum faceret, recedendo sine consensu dicti Concilii, vel praemissa non adimplendo, extunc prout exnunc consentiat per bullam haberi pro non papa, &c. cum clausulis opportunis. Et si non consentiat, tunc propter haec & multa alia procedatur contra eum, tamquam contra

*Concil. Tom. 29.*

Mm



notorium fautorem huius schismatis, & suspectum hæreticæ prauitatis, vt fuerit iuris & rationis.

ANNO  
CHRISTI  
1415.

*Quod supersedeatur a processu contra papam, donec habeatur responsio.*

Item quod pendentibus istis, supersedeatur de citatione & processu contra eum faciendo, donec super præmissis habeatur eius responsio, dummodo saluus conductus ducis Austriæ in forma petita infra horam festi- nis diei crastinæ, quæ erit Iouis decima octaua præsentis mensis Aprilis, pro dictis legatis & cardinalibus mittendis habeatur. Et si non habeatur infra dictum terminum, decernatur citatorium per edictum, & alias procedatur contra dictum dominum Ioannem papam, vt fuerit rationis.

*Si papa adimpleuerit præmissa, cessabitur a citatione.*

Item quod in casu quo dictus dominus Ioannes papa pro bono pacis & vnionis ecclesiæ præmissa adimpleuerit cum effectu, & dictum sacrum Concilium super eisdem contentauerit, cessabitur a citatione & processu, & agetur secum de securitate & prouisione status eius cum omni caritate & honestate.

*Quod dominus vicecancellarius signet supplicationes consistoriales, partibus auditis.*

Item decernit, diffinit & ordinat dicta sancta Synodus, quod dominus cardinalis Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius, supplicationes consistoriales de iustitia, partibus auditis, & alias vt in talibus in publico consistorio est fieri solitum, signet & expediat: quod si non fecerit, procedatur contra eum, vt fuerit rationis.

*Dantur commissarii contra Ioannem Hus.*

Item quod in materia fidei contra Ioannem Hus auctoritate huius sacri Concilii procedant archiepiscopus Ragusinus pro natione Italica, pro natione Germanica episcopus \* Flebbitensis, magister Vrfinus Taluenda pro natione Gallicana, magister Guillermus Comes

\*f. Fri-  
gen. al.  
Frebbiten-  
al. Stellan-  
cen.

ANNO  
CHRISTI  
1415.

pro natione Anglicana, in sacra pagina magistri, causam dicti Ioannis Hus & suorum sequacium examinando, & in illa procedendo vsque ad diffinitiuam sententiam inclusiue.

*Commissarii prædicti recipiant relationem dominorum cardinalium.*

Item quod prædicti commissarii recipiant relationem dominorum cardinalium, Cameracensis tituli sancti Marci, & Florentinensis, de processu facto super condemnatione librorum & articulorum, tam quadragintaquinque in Parisiensi & Pragensi, quam etiam ducentorum sexaginta in Oxoniensi, studiis facta: nec non super condemnatione memoriæ Ioannis Vuicleff, ac confirmanda sententia lata in Concilio Romano super condemnatione & combustione librorum prædicti Ioannis Vuicleff: & relationem super præmissis faciant nationibus & huic sacro Concilio, quam citius commode illam facere poterunt.

*Decernitur citatio contra Hieronymum de Praga.*

Item decernit dicta sancta Synodus citationem contra Hieronymum de Praga de hæresi infamatum, quodque dicta citatio contra eum exequatur in forma qua sequitur.

Sacro sancta Constantiensis Synodus generale Concilium faciens, in Spiritu sancto fideliter congregata, vniuersalem ecclesiam militantem representans, Hieronymo de Praga, qui se magistrum in artibus quam plurimorum studiorum fore scribit & pretendit, quæ recta sunt, ad sobrietatem, & non amplius sapere quam oportet. Scriptum quoddam tamquam ex tui persona affixum in portis ecclesiæ ciuitatis Constantiensis, alias die Dominica qua cantabatur in ecclesia dei, Quasi modo geniti, ad nostram notitiam noueris peruenisse, in quo tuis obreptatoribus crimina erroris & hæresis tibi obiicientibus, te asseris publice responsurum, de quibus apud nos multipliciter infamatus existis, & præsertim de doctrina Ioannis Vuicleff, nec non aliis doctrinis catholicæ fidei obuiantibus, dummodo ad veniendum tibi saluus & secu-

*Concil. Tom. 29.*

M m ij

Cant. 2.

rus conductus præbeatur. Et quia nostrum principalius interest, capere vulpeculas vineam Domini sabaoth conantes demoliri, idcirco personam tuam tamquam de multorum errorum doctrina temeraria assertione suspectam, & multipliciter diffamatam, euocamus & citamus præsentium sub tenore, quatenus infra terminum quindecim dierum a data præsentium computandorum, quorum quindecim dierum, quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica tibi præfigimus & assignamus in publica sessione huius sacri Concilii, si ipso die sessio fuerit celebrata; alias prima die sequenti, qua sessionem esse contigerit, compareas secundum tenorem prædicti tui scripti, responsurus ad ea quæ tibi aliquis vel aliqui in causa fidei voluerit obiicere, recepturus & facturus in omnibus iustitiæ complementum, ad quod a violentia, iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus, & etiam plenius assignamus: certificantes, quod siue in dicto termino compareas, siue non, nihilo minus contra te per ipsum sacrum Concilium, vel eius commissarios, vel commissarium, lapso termino supra dicto, procedetur, tua contumacia in aliquo non obstante. Datum Constantiæ in sessione Concilii generalis decima septima die mensis Aprilis, sub sigillis præsentium quatuor nationum.

*Contra famose libellantes.*

Item inhibet hæc sancta Synodus omnibus, cuiuscumque status, gradus, dignitatis vel conditionis existant, ne libellos famosos per se vel per alium, seu alios, faciant contra quemcumque in hac ciuitate Constantiensi existentem, sub pœna excommunicationis, quam, monitione canonica præmissa, contra facientes contrarium fert in his scriptis, etiam sub pœna carceris. Quodque contra tales qui in præmissis culpabiles seu infamati reperientur, procedatur auctoritate huius sacri Concilii, vt fuerit rationis.

ANNO  
CHRISTI  
1415.*Concilium decernit literas missiuas per mundum, informatorias de gestis synodalibus.*

Item decernit sancta Synodus, literas missiuas ad dominos reges, principes & vniuersitates per nationes huius sacri Concilii ordinatas & ordinandas, quam citius fieri poterit fore mittendas, sub sigillis quatuor prælatorum & quatuor nationum præsidentium.

Post quorum articulorum publicationem fuit petatum per dictos dominos, Atrebatensem & alios sibi assistentes, an placerent. Et fuit responsum per omnes, nemine discrepante, Placet, approbando. Et promotor Concilii petiit instrumenta fieri. Dominus vero vicecancellarius, quantum ad articulum eum contingentem, respondit, quod vellet signare commissiones de iustitia, sed non quæ contra ius scriptum.

*Quibus factis & auditis, prouidus vir magister Henricus de Piro promotor præfatus, nomine Concilii & nationum, ac omnium quorum interest, super omnibus lectis, publicatis & approbatis, ordinatis atque diffinitis, petiit sibi fieri per nos protonotarios sedis apostolicæ, ibidem de quatuor nationibus, videlicet Iacobum Rodini de Ianua pro natione Italica, Thomam \* Polcon pro natione Anglicana, Benedictum præpositum Albæ regalis pro natione Germanica, & Joannem de Ternubio pro natione Gallicana, existentes, ceterosque notarios quatuor nationum, & alios tabelliones publicos, unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem illustribus & magnificis viris dominis Rompolo duce Silesiæ, Ioanne Jacobo filio marchionis Montisferrati, Friderico comite de Oettingen, Alberto pincerna de Suiden barone, Joanne de vicecomitibus de*

*\* Polcon*  
*\* Suedia* Mediolano, ambasiatoribus regis Angliæ, Noruegiæ, \* Suediæ & Daciæ, Poloniæ, Franciæ, Cypri, & aliis, &c.

Subsequenter vero venerabilis & circumspectus vir dominus Benedictus magister theologiæ, ordinis sancti Benedicti, vnus de ambasiatoribus vniuersitatis studii Parisiensis, ascendebat dictum ambonem, ubi huiusmodi decreta siue publicationes per Concilium fieri solent: & legebat ibidem certas literas missiuas directas, videlicet vnam Concilio, aliam ambasiatoribus præfate vniuersitatis. In qua fuit insertus tenor alterius literæ missiue directæ papæ Ioanni per eandem vniuersitatem, quorum tenores inferius sunt in-

ferti: Recommendans nihilo minus vniuersitatem prædictam Concilio memorato, offerens eamdem ad beneplacitum & confortationem Concilii memorati. Tenor vero literarum missuarum ambasiatoribus vniuersitatis Parisiensis directarum sequitur, & est talis.

Venerabilibus & eruditis viris nostris fidelibus & sincere dilectis nuntiis ad sacrum generale Concilium Constantiense nostra ex parte destinatis. Grauius & cum magna cordis acerbitate ferimus, venerabiles viri, magistri & amici dilectissimi, sanctissimi domini nostri discessum. Nihilo minus sua vota atque iuramenta amplectentes, & ea omni studio prosequi volentes, eidem domino nostro scribimus in forma quæ sequitur: Pacem ecclesiasticam, beatissime pater, tot annis totque laboribus & expensis quæsitam, per vestram sapientiam atque caritatem videtur operatura diuinitas, si sacri Constantiensis Concilii ac vestræ sanctitatis idem fuerit animus pariter & affectio. Neque tantum valebit diuidentis malignitas, quin vobis in unum conuenientibus, Spiritus sanctus animos fidelium in pacem agat & unitatem: cuiusmodi concordie non sine diuino motu nuper dedit studiosam operam vestra sanctitas, cum ecclesiæ sanctæ dare pacem per viam puræ & simplicis cessionis, aliis per Pisanum Concilium de papatu eiectis similiter cedentibus, ac etiam in quocumque casu haberi possit unio, spondit, iurauit & vouit. In quo patuit affectus religiosæ pietatis, & veri patris ad filios debita compassio. Nam si vera mater probatur per Salomonem, quod maluit materno carere titulo, quam puerum permittere funestæ sectioni: quanto magis summus pontifex paternam affectionem patefecerit, si ecclesiæ iam diu lamentabiliter diuisæ redintegrationi suum dominatum posthabuerit, atque præsentiam. Itaque non modo cum mente & intentione sacri Concilii, verum etiam cum piis desideriis totius Christianitatis & cunctorum mortalium, quos nulla istic agitat vesania, his votis atque iuramentis vestra sanctitas videtur egisse. Non quod in hoc facto eiectis de papatu sit deferendum, quamuis & eorum animos in Domino lucrifacere satagere debetis: sed quia tot populis & regnis ac nationibus illos sequentibus, & fortassis in alterationem immensæ discrepationis alias venturæ, consuli oportuit: quorum salutem vestræ præsentie in vestris votis & iuramentis prætulisse videmini. Quod si operis ab affectu probatum profecutumque fuerit, quamdiu terrenum orbem mortale genus attollet, vestras laudes celebrabit omnis ætas. Et pro abdicatione honoris momenta-

3. Reg. 3.

ANNO  
CHRISTI  
1415.

nei, cum merito præmii sempiterni erit vobis paratum nomen ceteris longe gloriosius. Verum, beatissime pater, in hac re nos vnus mouet scrupulus, quod audiuimus vestram sanctitatem a Constantia Schafhusam secessisse. Non enim est ille locus potior ad amplitudinem sacri Concilii ad tantam rem gerendam: deinde Constantia per vestram sanctitatem fuit electa, & per vestram obedientiam humiliter recepta, ceteris etiam gratior videbatur, utpote grauis, locuples, ornata ciuitas. Nec videtur quomodo tali vulnere medelam afferre possit hæc mutatio. Postremo in ea vrbe vestra sanctitas habebat amantissimum, Christianissimum & inuictissimum imperatorem, qui tranquillitatem & securitatem præstare poterat, & iniurias omnes propulsare. Habebat sacrum collegium cardinalium, quod non modo pro securitate vestra, verum etiam pro honore vestro atque gloria vsquequaque decertasset. Habebat denique totam ecclesiam sibi obedientem, longe ceteros superantem. In qua erat non minima Galliarum natio, quæ non minimo quidem verbo vestram sanctitatem offendi permisisset. Vbinam igitur, sanctissime pater, persona vestra celebrius, securius atque deuotius tractabitur, quam in vrbe vobis deuota, per vos electa, cum ecclesia vestra, cum imperatore Christianissimo, & cum ceteris de vestris votis & iuramentis sanctissimis vestræ clementiæ omni die congratulantibus? Non est aliquis tam ignarus rerum, tam rudis in re Christiana, tam nihil vnquam de publica pace ac salute cogitans, quin intelligat, ubi in sacramento pacis dandæ manebit sanctitas vestra, Concilium sacrum ac eius partes vniuersas omnem reuerentiæ cultum, quem mortalem mortali præstare fas est, vestræ personæ præbituras. Postea cogitet sanctitas vestra, clementissime pater, quid est in tractatu quærendæ pacis a sacro Concilio discedere, quid dissidere. An primum suspectum? an secundum damnatum? Et si probabilis discedendi caperetur occasio, nulla tamen inueniretur dissidendi. Quod si hoc velle quisquam videbitur oppugnantium, viderit ne sacri Pisani Concilii validius callidi sentiant inconcussa fundamenta. Absit, beatissime pater, ut in tanta re sanctitas vestra a sacro Concilio discordet: hoc enim esset ab ecclesia Dei discordare. Absit a gloria nominis vestri, quod sacrum Concilium sine præsentia vestra rem tam grandem tractet vel terminet. Vestri est, sanctissime pater, ut nullum in hac re habeatis priorem, nec perseuerando fortiozem. Propterea supplices vestram sanctitatem oramus, & per sanctam ecclesiam, extra quam qui se ponit, se perdit, obsecramus, ac etiam per pacem asperisionis sanguinis Iesu Christi

vos, pater, obtestamur, ut viscerum misericordiae Dei nostri memores, in sacris votis & iuramentis vestris maneatis, & Constantiam ad vestros fratres & filios deuotissimos, imo ad ecclesiam Dei & vestram redeatis, ouili dominico papatus ambitione & dominandi libidine turpiter diuiso, pacem vniuersalem cum consilio ecclesiae illic congregatae daturi. Nec in hoc adduxerit sanctitatem vestram male consulentis perniciēs, ut occasione talis discessus, vel quaesitae dilationis complendi iuramenti, pax vniuersalis per diem retardetur: nec praelatis sumptibus & tædio confectis, ac sancta Synodo dissipata, tantarum rerum volumina rupta compage diffuant, maiori postea periculo reuocanda: imo properet sanctitas vestra sacrae Synodi consiliis acquiescere, & eius conclusiones executioni feliciter demandare. Vestram sanctitatem, &c. Et quia de Constantiensis Concilii fortitudine ac perseuerantia gerimus in Domino fiduciam, cum quo sumus firmiter processuri, speramus vestris laboribus in melius reuocari Concilium, vnite ad hanc pacem quaesitam feruentius laborare, atque ex fortuna non optata consequi finem optatiorem. Vnde vos hortamur maiori incumbere labori, & hanc nostram mentem literis praesentibus insertam, vniuersis patefacere, & nobis saepius quaeque supra hoc grata rescribere. Dirigat mentes & personas vestras, & conseruet Altissimus feliciter. Datum Parisiis in congregatione nostra generali, apud sanctum Bernardum super hoc specialiter celebrata, die secunda mensis Aprilis.

Rektor & vniuersitas studii Parisiensis.

Litera missiua vniuersitatis Parisiensis, destinata archiepiscopis, episcopis & doctoribus Italicae nationis.

**F**ELICITER ecclesiae successisse Dei, reuerendissimi patres & domini, nuper existimauimus, cum & Deo volente & vobis pro debito vocationis vestrae coagentibus, dominus noster summus pontifex viam vouit cessionis, atque iurauit. Hinc in tanta animorum alacritate Deo gratias egimus, ac tanta deuotione in sacrum Constantiense Concilium fuimus permoti, ut hoc diuinum Concilium arbitraremur. Vnde magis miramur, quod dominus noster ab eo modo tali discesserit, praesertim cum ex eo fuerit cum summa laude ecclesiae Dei fructum amplissimum allaturus: nec venit in mentem nobis, istum discessum posse praestare vniouis incrementum. Equidem, reuerendissimi patres, ex multis papatum vel ambientibus,  
vel

ANNO  
CHRISTI  
1415.

vel occupantibus, bona verba saepe audiuius, sed postea conatus eorum percepimus pollicitis obuiantes: non quod istud de sanctissimo domino nostro cogitet nostra filialis deuotio, sed quia in-niti debemus, ne minima quidem macula schismatis ab aduersariis sibi posset impingi. Cognoscitis quantum sit periculum, in tractatu pacis ecclesiasticae papam a Concilio generali discedere; quantum nefas, ab eo dissidere. Propterea egregiam nationem velimus exoratum in Domino, ut in Concilio generali Constantiensi persistat, domino nostro ad Concilium generale redire persuadeat, ac vota & iuramenta domini nostri amplectentes, pacem ecclesiasticam, nulla subterfugiendo discrimina, prosequatur. Eamdem nationem vestram praestantissimam tueatur summa aeternitas. Scriptum in congregatione nostra generali apud sanctum Bernardum super hoc specialiter celebrata, secunda die mensis Aprilis.

Subscriptio literae.

Beneuoli vestri rector & vniversitas studii Parisiensis.

\* Subscriptio praedictae literae.

\* Super-  
scriptio

Reuerendissimis in Christo patribus, archiepiscopis, episcopis, doctoribus, & aliis dominis Italicam nationem in sancta & vniversali Synodo Constantiensi representantibus.

SESSIO VII.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, indictione octaua, & domini nostri, domini Ioannis diuina prouidentia papae XXIII. anno quinto, die Iouis secunda mensis Maii, fuit sessio generalis in ecclesia Constantiensi maiori suprascripta, ad hoc deputata mane hora Tertiarum, in qua fuit serenissimus princeps Sigismundus rex Romanorum & Hungariae, &c. cum suis insigniis regalibus, & nobilibus in praedictis sibi seruiantibus, & in qua praesidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, cardinalis Viuariensis. Et domini, Angelus Laudensis & Jordanus de Vrsinis cardinales, ipsi domino regi nomine dictorum cardinalium assistebant. Et antequam aliquid fieret, more solito fuit cantata Missa de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Ioannem archiepiscopum fuit officium litaniarum cum pum Ragusinum: qua cantata, legebantur litaniae, & introitu, Exaudi nos Domine, &c. collectis & hymno,

Concil. Tom. 29.

Nn